

co. Solum Solem intueri; ne de reliquis dicamus stellis. Luminibus remotis, tempore nocturno si exiguum in mensa granum Phosphori mirabilis reponas, exhalabit semper, quandoque fulgurabit, si contrectes; ad puncti sanè ἁδενότητι fumabit. Hinc granum illud, quod tūm primūm vidit, & descripsit eleganter publicatā post id de IV. Phosphoris diatribā Nobilissimus ELSHOLTZ, non potuit fulgorem die postero repræsentare iterūm, sed per vices fulgurabat saltem, propter vim in aëre libero debilitatam antea; cūm semper sit in motu, & ex corpore visibili evadat invisibile; dum dissipatur sal volatile. Sciamus inde: *Si vel nullum ex se nobilis medicamento usum homini praberet illa lux, quā penetrabile ac divinissimum vehiculum medicinarum præstantissimarum debeat haberi.* Vita ipsa nostra lux, & lucis radiatio non impedit a sanitas existit. Jā per lucē, & lucifera si succurratur ei medicamina, *tutò, citò & jucundè* valetudinem corroborabimus. Venena quā velociter, quā vehementer corpora infestant jugulantque? Unde, nisi propter spirituosissimam naturam atque operationem, quā sunt prædita? Nunc si antidota virtutis & velocitatis non minoris eis opponantur, beneficio vehiculi istius longè propiūs ad metam veniremus. Sed rem tangimus hic saltem, applicationem aliis relinquimus. Qui tamen viderint, ne grana lucida & lucifera in centrum condensata, sine liquidis accipiantur.

*Mirabilia
præsentis
Phospho-
ri,*

§. XI. Paradoxa scribere videbor: *ignem intensissimum in corpore ad sensum tactūs frigido, in conglobata luce, in sale volatili, in mediis non modò dulcibus, sed corrosivis etiam aquis, quibus & in oleis durare sine noxa, nec liquefcere.* Hæc tamen singula, jam sæpè Maximorum Principum Nobiliumque plurimorum manibus & oculis exhibita fuerunt. Noverit testabiturque Aula Brandenburgica Electoralis, quæ repræsentarit Artifex *Kunckelius* ibidem. Nec illud præterire debeo, quod mihi venit usu, cūm literis omninò clementissimis Bambergam dignaretur S. R. I. Princeps Illustrissimus, rerumque naturalium ac rariorum incomparabilis amator atque æstimator, DN. PETRUS PHILIPPUS, Episcopus Bambergensis & Herbipolensis Eminentissimus me invitare jam superiori anno. Die 7^{to} Augusti, dapibus solutis, ho-

rā IX.